

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725.

QUAM MISERA SIT CONDITIO DOCENTIUM LITERAS HUMANIORES LUTETIAE.

E_1 v.1 Ite leves nugae, sterilesque valete Camenae,
 2 grataque Phoebéo Castalis unda choro.
 3 Ite, sat est : primos vobiscum absumpsimus annos,
 4 optima pars vitae deperiitque meae.
 5 Quaerite, quaem capiat jejuna cantus in umbra ;
 6 quaerite, qui pota carmina cantet aqua.
 7 Dulcibus illecebris tenerum vos fallitis aevum,
 8 dum sequitur blandae carmen inerme lyrae.
 9 Debita lilitiae molli languescit in umbra,
 10 et fluit ignavis fracta juvena sonis.
 11 Ante diem curvos senium grave contrahit artus,
 12 imminet ante suum mors properata diem :
 13 ore notat palor, macies in corpore toto est,
 14 et tetrico in vultu mortis imago sedet.
 15 Otia dum captas, praiceps in mille labores
 16 irruis, et curis angeris usque novis.
 17 Nocte leves somnos resolutus compede fossor
 18 carpit, et in mediis nauta quiescit aquis ;
 19 nocte leves somnos carpit defessus arator,
 20 nocte quies ventis, Ionioque mari :
 21 nocte tibi nigrae fuligo bibenda lucernae,
 22 si modo Calliopes castra sequenda putes ;
 23 et tamquam Libyco serves curvata metallo
 24 robora, et Herculea poma ferenda manu,
 25 pervigil in lucem lecta atque relecta revolves ?
 26 Et putri excuties scripta sepulta situ.
 27 Saepe caput scalpes, et vivos roseris ungues,
 28 irata feries pulpita saepe manu.
 29 Hinc subitae mortes, et spes praerepta senectae,
 30 nec tibi fert Clio, nec tibi Phoebus opem.
 31 Si caput in cubitum lassa cervice recumbat,
 32 et sopor exiguus lumina fessa premat,
 33 ecce, vigil subito quartam denuntiat horam,
 34 et tonitru horribifico lumina clausa quatit.
 35 Excutit attonito somno sonus aeris acuti,

36 admonet et molli membra levare toro.
 37 Vix siluit, jam quinta sonat ; jam janitor urget
 38 cymbala, tirones ad sua signa vocans.
 39 Mox sequitur longa metuendus veste magister,
 40 ex humero laevo mantica terga premit.
 41 Dextera crudeli in pueros armata flagello est ;
 42 laeva tenet magni forte Maronis opus.
 43 Jam sedet, et longis clamoribus ilia rumpit,
 44 excutit implicitos ingeniosque locos.
 45 Corrigit et delet, mutat, vigilata labore
 46 promit, in obscuro quae latuere diu.
 47 Magna, nec ingeniis aevi explorata prioris,
 48 eruit, inventas nec sibi celat opes.
 49 Alter abest, petiturque alter, mercede parato
 50 qui vocet, et fictos condat arte dolos.
 51 Ille caret caligis, huic rupta calceus alter
 52 pelle hiat, ille dolet, scribit et ille domum.
 53 Hinc virgae, strepitusque sonant, fletuque rigantur
 54 ora, inter lacrimas transigiturque dies.
 55 Dein nos sacra vocant, dein rursus lectio, rursus
 56 verbera : sumendo vix datur hora cibo.
 57 Protinus amota sequitur nova lectio mensa,
 58 excipit hanc rursus altera, cena brevis :
 59 surgitur, in seram noctem labor improbus exit,
 60 ceu brevis aerumnis hora diurna foret.
 61 Quid memorem interea fastidia mille laborum,
 62 quae non ingenua mente ferenda putes ?
 63 Ecce tibi erronum plenas ex urbe phalanges,
 64 terraque ferratis calcibus icta tremit ;
 65 turba ruit, stolidasque legentibus applicat aures,
 66 quales Phoebeae Phryx dedit ante lyrae.
 67 Et queritur nullis onerari compita chartis,
 68 esse et Alexandrum nullo in honore suum ;
 69 nec gravidum pleno turgescere margine librum,
 70 neglectumque premi vile Guidonis opus.
 71 Curritur ad Montem magno cum murmure Acutum,
 72 aut alias aedes, sicubi Beta sapit.
 73 Quid referam quoties defenditur acer Orestes,
 74 carmina vel numeris cum caruere suis ?
 75 Arcadico juveni quod laeva in parte mamillae
 76 nil salit, iratus clamat uterque parens :
 77 conqueritur nullo labentia tempora fructu,
 78 totque diu sumptus deperiisse suos.
 79 Aestimat et nostros non aequa lance labores :
 80 temporis et nulla damna rependit ope.
 81 Adde, quod Aonidum paupertas semper adhaerens
 82 it comes, et castris militat ipse suis ;
 83 sive canas acies in Turcica bella paratas,
 84 sive aptes tenui mollia verba lyrae ;
 85 sive levi captas populi spectacula socco,
 86 turgidus aut tragico syrmate verris humum ;
 87 denique quicquid agis, comes assidet improba egestas,
 88 sive poema canis, sive poema doces.
 89 Bella gerunt urbes septem de patria Homeri :
 90 nulla domus vivo, patria nulla fuit.
 91 Aeger, inops patrios deplorat Tityrus agros,

92 Staius inflantem vix fugat arte famem.
 93 Exsul Hyperboreum Naso projectus ad axem,
 94 exsilium Musis imputat ille suum.
 95 Ipse deus vatuum vaccas pavisse Pheraeas
 96 creditur, Haemonios et numerasse greges.
 97 Calliope longum caelebs cur vixit in aevum ?
 98 Nempe nihil doti quod numeraret, erat.
 99 Interea celeri cursu delabitur aetas,
 100 et queritur duram tarda senecta famem ;
 101 et dolet ignavis studiis lusisse juventam,
 102 jactaque in infidam femina maeret humum ;
 103 nullaque maturis congesta viatica canis,
 104 nec faciles portus jam reperire ratem.
 105 Ite igitur, Musae steriles, aliumque ministrum
 106 quaerite : nos alio fors animusque vocat.

MAJAE CALENDAE.

E_2 v.1 Festa vocant, laetisque comes Lascivia festis,
 2 et chorus, et choreae blandus amicus Amor :
 3 ludit et admissis levis Indulgentia frenis,
 4 et levat assueto libera colla jogo.
 5 Interea vigiles paulum secedite curae,
 6 et genitor curae dure facesse labor.
 7 Este procul lites, et amarae jurgia linguae,
 8 mixtaque flebilibus maesta querela sonis ;
 9 dum renovat Majus senium revolubilis aevi,
 10 et tenerum verno pingit honore solum ;
 11 dum caeli juvenile decus, mundique juvena,
 12 per non ingratas itque reditque vices,
 13 inque recurrentes sine fine revertitur ortus,
 14 et numquam fessis saecula lustrat equis.
 15 Hunc Jocus, hunc tenera mensem cum matre Cupido
 16 vindicat, hunc risus, et sine felle sales ;
 17 hunc hilaris Genius, Genii et germana Voluptas,
 18 et pelluentes Gratia picta sinus.
 19 Ipsa suo Cypris praesens aspirat honori,
 20 et recreat flamma splendidior polum ;
 21 ipsa novos cultus, niveoque monilia collo
 22 induitur, Marti ceu placitura suo.
 23 Laetus Amor, jaculis Sicula fornace recoctis,
 24 splendida sanguinea spicula cote terit.
 25 Has linit ambrosia, linit illas felle sagittas,
 26 et renovat flamma lucidior faces.
 27 Cernis ut Assyrios late Dea fragret odores,
 28 implicet et flavas verna corona comas ?
 29 Ut manus Eois radiet stellata smaragdis,
 30 ut fluat in nitidos aurea palla pedes ?
 31 Lustret ut intento choreas puer improbus arcu,
 32 ut tenera fundat spicula certa manu ?
 33 Ut face nunc juvenes, face nunc petat ille puellas,
 34 asperaque invicto foedere corda domet ?
 35 Qua Dea progreditur fragrant per compita flores,

36 et media placidum frondet in urbe nemus.
 37 Qua Deus ingreditur festi per compita plausus,
 38 et vox laetitiae testis in astra volat.
 39 Applauditque Deae stratis mare leniter undis,
 40 laetaque lascivis squamea turba choris.
 41 Applauduntque Deo pueri innuptaeque puellae,
 42 queis rudis in vacuo pectore flamma calet.
 43 Plaudit utrique Deo quicquid creat humidus aer,
 44 quicquid alit tellus, aequora quicquid alunt.
 45 Rara procellosae fugiunt in vellera nubes,
 46 mollior arboreis sibilat aura comis.
 47 Purior auratis Pyrois splendet habenis,
 48 Phoebus ab aequoreis purior exit aquis.
 49 Herba comis, tellus nitet herbis, frondibus arbor,
 50 luxuriat laetum laeta per arva pecus.
 51 Carcere liber equus spatiis lascivit apertis,
 52 jactat et undantes per fera colla jubas.
 53 Tondet ovis pratum, petulans salit agnus in herba,
 54 pro nivea taurus conjuge bella gerit.
 55 Rupis inaccessae scandunt dumeta capellae,
 56 haedus et infirma proelia fronte movet.
 57 Interea pastor geniali stratus in umbra
 58 discutit incomptis taedia lenta modis :
 59 nunc et odorata somnos invitat in herba,
 60 nunc strepitum captat praetereuntis aquae.
 61 Intentus sedet liquidas piscator ad undas,
 62 dum tremulum fallax linea sentit onus ;
 63 forsitan et elusos quaerit quibus instruat hamos,
 64 explicat aut cauta retia longa manu.
 65 Pampinus appositae complexus brachia silvae
 66 vestit adoptivis robora nuda comis.
 67 Poma nemus pingunt, meditatur vinea botros,
 68 proventu segetis dives inundat ager.
 69 Tityrus in calathis tibi lilia, Thestyli, cana
 70 servat, et in calathis aurea mala suis ;
 71 cumque suis nidis Procnen, Procnesque sororem,
 72 et te cum nidis, blanda columba, tuis.
 73 Garrula per virides ludunt examina ramos,
 74 et tenui silvas gutture mulcet avis.
 75 Basia Chaoniae jungunt lasciva columbae,
 76 ingemit extinctum tinnula mater Ityn.
 77 Hanc juvat ad nitidum pennas extendere solem,
 78 haec querulam pleno convolat ore domum :
 79 haec luteum suspendit opus, fugit illa per auras,
 80 et liquidas alis stringere gaudet aquas.
 81 Ridet ager, rident silvae, micat igneus axis,
 82 et placidum sternit lenior aura fretum.
 83 Hinc procul ergo abeant cruciantes pectora curae,
 84 vanaque quaerendae sollicitudo rei.
 85 Pone supercilium capulo vicina senectus,
 86 de tetrica rigidas excute fronte minas.
 87 Utque novus, posito veteri squalore senectae,
 88 pandit odoriferas fertilis annus opes ;
 89 postque pruinosae languentia frigora brumae
 90 rura novat veris floridioris honos ;
 91 vos quoque paulisper placidos diffundite vultus,

92 aspera cum duris ponite jussa minis :
 93 carpite, dum fas est, fugitivae gaudia vitae,
 94 credite vos juvenes esse, fuisse senes.
 95 Ut sua munifico diffundit praemia vultu
 96 omniferos pandens copia larga sinus !
 97 Ut vetat ignavae reparans incommoda brumae
 98 turpia sollicitae damna timere famis !
 99 Pandite sepositas quas celant horrea fruges,
 100 parcaque congestas arca refundat opes.
 101 Nec tenebris claudat generosum celle Lyaeum,
 102 quem dat arenoso Vasconis uva solo :
 103 qui, nisi depromis, acri languescit aceto,
 104 teque monet vitae commoditate frui.
 105 Vos quoque turba feri pueris invisae magistri,
 106 qui geritis dura lenta flagella manu,
 107 ponite difficiles in idonea tempora vultus,
 108 incutiant nullos verbera secta metus ;
 109 parcite plagosis ferulis, virgaeque sonorae,
 110 nec scuticae teneras laedat habena manus ;
 111 Candida nec maestis suffundite fletibus ora,
 112 nec foedet niveam pustula rupta cutem.
 113 Post sua Pieriis succedent otia Musis,
 114 largaque Castalius fenora reddet ager.
 115 Interea, juvenes, molles celebrate choreas,
 116 et genium festis exhilarate jocis.
 117 Laeta fugent lites, ludis concedite luctus,
 118 pro rixa risus, crimine carmen eat.
 119 Nec tetrici nuptas custodia dura mariti
 120 arceat, aut dura janua clausa fera :
 121 sollicitae timidas nec matris cura puellas
 122 cogat in obscura delituisse domo.
 123 Pandite lacteolas (jussit Cytherea) papillas,
 124 excipiant flavas lactea colla comas.
 125 Luceat igniferis Sidonia palla pyropis,
 126 pulchra verecundus purpuret ora pudor.
 127 Haec sunt militiae Mavortia tela potentis,
 128 tela triumphatis imperiosa deis ;
 129 tela, quibus fuis juvenilis millia turbae
 130 plurima cum pereant, plura preisse petunt.
 131 Dum choreas, aetas, dum blandi gratia veris,
 132 libera dum festus gaudia Majus habet,
 133 carpe rosas, et, ni carpas, peritura ligustra,
 134 et vitae credas haec simulacra tuae.
 135 Horrifer ut Boreas agri genialis honorem
 136 exuit, ut canas fundit in arva nives,
 137 frondibus ut spoliat silvas, ut floribus hortos,
 138 pigraque concretis flumina frenat aquis :
 139 sic tibi deformes mutabunt tempora cani,
 140 contrahet et vultus arida ruga tuos,
 141 pendebit laxata cutis, rubigine dentes
 142 squalebunt, oculos inficietque rubor ;
 143 mellea deficiet facundae gratia linguae,
 144 imminet en vitae figida bruma tuae.
 145 Dum nos ergo sinunt fata invidiosa, senecta
 146 temporis utatur vere, juvena suo.

AD BRIANDUM VALLIUM, SENATOREM BURDEGAL. PRO LENA APOLOGIA.

E_3 v.1 Posse putet quisquam fieri, doctissime Valli,
 2 in famulas Veneris durus ut esse queas ?
 3 Idem posse suos in fontes flumina labi
 4 credat, et aversis astra redire rotis.
 5 Et tamen infontes ut flumina lapsa recurrant,
 6 et retro aversis astra ferantur equis :
 7 non erit in Veneris, Valli, censura ministras
 8 aspera, nec rigidis contrahet ora minis.
 9 Non ea rusticitas , rigor est nec tetricus illi,
 10 cordaque montanis asperiora feris,
 11 sed facilis candor, doctisque exculpta Camenis
 12 pectora, quae saevae nil feritatis habent,
 13 quae jocus et salibus capiat condita venustas,
 14 quaeque juvent risus, gratia blanda, lepos.
 15 Adde quod est levibus non impenetrabile telis
 16 cor tibi : sensisti tu quoque quid sit amor.
 17 Inter et ingenuas, praestas quibus omnibus, artes,
 18 materiam flammis repperit ille suis.
 19 Cum tibi jucundo pectus premeretur amaro,
 20 serperet in curas et nova cura tuas,
 21 quae tibi mens, quae vita, animi miserande, fuisset
 22 tum tibi, si fidam lena negasset opem ?
 23 Olim tu quod eras, alios nunc esse putato ;
 24 quaeque tibi fuerant, iis modo grata puta.
 25 Aut potius, juvenes ceu sis revolutus in annos,
 26 ante tuum hanc causam finde tribunal agi.
 27 Finge ream lenam, juveni quod morte sub ipsa
 28 officii fuerit fida ministra sui,
 29 quod medico certam nullo spondente salutem,
 30 spem misero vitae fecit, opemque tulit,
 31 quod natum patri, civem servaverit urbi :
 32 haec, age, quo poenae nomine digna putes ?
 33 At vos majorum requiescite molliter umbrae,
 34 vestraque purpureo floreat urna croco,
 35 qui bene servati statuistis praemia civis,
 36 ut premeret fortes querna corona comas.
 37 Illo debuerat mulier tam strenua nasci
 38 tempore, virtuti cum suus esset honos.
 39 Clarior haud esset Latiis Laurentia fastis,
 40 aut dea, quae nuda vult meretrice coli.
 41 At nunc invidiae est virtus, contemptus honesti
 42 neglecto recti pondere, regna tenet.
 43 Quae fora tot caperent statuas, si digna fuissent
 44 reddita virtuti dona, virago, tuae ?
 45 Quae nunc, me miserum, es rea criminis, id modo crimen
 46 si fit, quo dempto vivere nemo potest.
 47 Officium si crimen erit, si nocte dieque
 48 aspera blandiloqua frangere corda prece,
 49 vincula si Veneris sunt noxia, legibus arce,
 50 nulla dehinc ornet limina festus Hymen.
 51 Ne liceat gravibus medicos arcessere morbis,

52 si nullum, medicos qui vocet, esse licet.
 53 Sin et blanda Venus gerantum saecula propaget,
 54 et medicam morbis addere fas sit opem ;
 55 poscere sin fas est, quae fas fecisse, rogare
 56 et medicum, et Venerem conciliare licet.
 57 Quod si parva licet magnis componere, lenae
 58 munere comperies quot placuisse deos ?
 59 Anne aliud quam lena Venus, quam leno Cupido ?
 60 Quaeque praeest primis pronuba Juno toris ?
 61 Quique domas duras Domiti, et Domiduce puellae
 62 ductor ad externos cum venit illa Lares ?
 63 Anne Jugatinum tibi, Pylumnumque, Premamque
 64 Pertundam, et Subigum, teque Hymenaeae canam ?
 65 Cumque Libentina Manturnam, Volupiamque,
 66 et quae de timida virgine nomen habet ?
 67 Sedula multorum, Valli, si lena deorum
 68 implevit partes, crimen id esse putas ?
 69 Dedecus est homini, quod numinis aequat honores ?
 70 Res erit huic poenae quae dedit astra deis ?
 71 Sed neque connubiis praesunt haec numina solis,
 72 et sine connubio est non inamoena Venus.
 73 Respice Pieridas, Valli, tua numina, Musas,
 74 virgo in virgineo vix erit ulla choro.
 75 Orphea mulcentem silvas agnoscit et amnes
 76 Calliope genitrix, Uranieque Linum.
 77 Furta tegens uterus reliquas facit esse pudicas ;
 78 quae casta est ? Sterilis, vel sine teste parens.
 79 Nec taedis super astra fides servata maritis,
 80 nec patrem appellas ipse Gradive Jovem.
 81 Forte pudicitiae saeculis fuit ampla vetustis
 82 gloria, sed titulo gloria sola tenus.
 83 Quam nunc utilitas, mos, consensusque recusat
 84 publicus, haud falso si licet ore loqui.
 85 Cum mare, cum tellus homines populetur, et ignis,
 86 tot pereant morbo, tot fera bella necent,
 87 cumque hominum in pejus solertia callida semper
 88 inveniat causas in sua fata novas.
 89 Tun' prohibere potes Veneris commercia ? Lenas
 90 si tollis, Veneris commoda quanta vetas ?
 91 Tun' prohibere audes Veneris commercia ? Sola
 92 humanum poterunt quae reparare genus ?
 93 Nam neque Partheniis nunc quercubus editur Arcas,
 94 Curetes pluvio nec geniti imbre cadunt ;
 95 nec gravida fratres funduntur nube bimembres,
 96 nec vivunt Pyrrhae saxa animata manu ;
 97 Myrmidonas nusquam gignit formica, nec usquam
 98 ficta Prometheo spirat imago luto.
 99 Una quidem superest, superest ars unica, Valli,
 100 quae reparat nostrum continuatque genus.
 101 Huic quota pars restat detracto munere lenae,
 102 sive torus, Veneris seu vaga furta placent ?
 103 Lena toros auget fecunda prole maritos,
 104 ne serie soboles deficiente cadat.
 105 At si legitimi serventur foedera lecti,
 106 opprimet illustres quanta ruina domos ?
 107 Juppiter et Bacchus succurret munere lenae,

108 atque geret partes Mars et Apollo viri.
 109 Gignet Alexandrum serpens, qui Persica vincat,
 110 perniciem Libyes Scipiademque draco ;
 111 aut personatus juvenis sub nomine amicae
 112 sacra Bonae intrabit non temeranda Deae.
 113 Sed neque conjugium conjux castum expetet ullus,
 114 si quicquam sano in pectore mentis habet.
 115 Quae casta est, tetrica est eadem tristisque, nec octo
 116 diducit risu mensibus ora quater ;
 117 oscula dat veluti pulla cum sindone mater,
 118 funera quae nati luget acerba sui.
 119 Praetereo prudens quos nox thalamusque torusque
 120 continet occultos et sine teste jocos ;
 121 quos mihi si tollis, nec casta Lucretia conjux
 122 hac placeat lecto condicione meo.
 123 At quae furtivae Veneris commercia novit,
 124 mille virum tristem leniet illa modis.
 125 Si peregre it, plorat ; redeuntem amplectitur, ulnis
 126 comprimit, exanimis deficit inque sinu ;
 127 accusatque moras, et verbis oscula jungit ;
 128 oscula dum jungit, fletibus ora rigat.
 129 Et queritur ceu laesa prior suspiria ducens,
 130 percurSATque agili sedulitate domum.
 131 Haec bona si doctae debent connubia lenae,
 132 quantum illi caelebs debeat ergo torus ?
 133 Debet ei caelebs, gelido quod sidere brumae
 134 non cubet occlusas frigidus ante fores ;
 135 fabula quod non sit vulgi rumore sinistro,
 136 apta quod officiis tempora liber agat.
 137 Ipse tibi es testis, (quid enim manifesta negemus ?)
 138 Ars lenae quantum commoditatis habet :
 139 quae si opera quondam te destituisset amantem,
 140 venisset studiis heu mora quanta tuis ?
 141 Publica Burdegalae prohibent decreta lupanar,
 142 judicio lenae nec licet esse tuo.
 143 Quid facient inopes juvenes, peregrinaque turba ?
 144 Quid miseri mystae, funigerique greges ?
 145 Quid monachi reliqui ? Quorum tentigine nervos
 146 assidue vexant vina, juvena, quies ?
 147 Claudere cum precibus possint Acheronta polumque,
 148 et caeli, Stygias et reserare fores,
 149 secure ut precibus possint intendere, apud te
 150 illorum justas fac valuisse preces.
 151 Adde quod e furto proles felicius exit,
 152 quam cum legitimo vincula more ligant.
 153 Nempe quod assuetae Veneris fastidia gignit
 154 copia, nec gratum quod licet, esse solet.
 155 Sensus hebes languet, torpetque ignava voluptas,
 156 acrius ardescit saepe repulsus amor.
 157 De Junone Jovi satus est modo Mulciber unus,
 158 claudus ab Aetnaeis squalidus usque rogis.
 159 Mars furto, et Pallas, Phoebus, Bacchusque Venusque,
 160 et qui saxificae Gorgonis ora tulit ;
 161 quique tulit caelum, quique extulit igne parentem,
 162 quemque suum auctorem Martia Roma vocat.
 163 Quosque foret longe numerare molestius, undae

164 quam Libycae fluctus si numerare velis.
 165 Nec tamen hic meruit livor confingere crimen,
 166 esse ubi par merito gratia nulla potest.
 167 Nec satis hoc visum est meritis non praemia reddi,
 168 sed vitii officio nomina falsa damus.
 169 Peccet ut hic vulgus, queisque ignorantia crassa
 170 obsita Cimberia pectora nube premit ;
 171 absit ab ingenio, Valli, foedissima labes,
 172 barbaries mores nec notet ista tuos ;
 173 quod fuit officium quondam melioribus annis,
 174 ut vitium, crimen nequitiamque putes.
 175 Nam neque vim vertit, nativaeque nomina rerum,
 176 ut niveas tingit cana senecta comas.
 177 Nec si mutarit tempus cum corpore formam,
 178 in vitium virtus degenerare potest.
 179 Sola manet patiens aevi, securaque damni,
 180 nec metuit longas temporis una moras.
 181 Virtutem appellem ? Quidni ? Quae noxia nulli,
 182 eximia multis commoditate placet.
 183 Ut tibi non prosit, seris neque serviat annis,
 184 utilis at nato forte erit illa tuo.
 185 Attamen haud Veneris tibi sic deferbuit ardor,
 186 nullaque sub docto pectore flamma calet,
 187 ut veteres penitus possis abdicere amores,
 188 nullaque Cyprigenae gaudia nosse deae.
 189 Nulla quoque ut capias, nimium livoris iniqui est,
 190 queis careas, alios velle carere bonis.
 191 Nam licet acer equus senio sit fractus inertis,
 192 bellica cum raucae signa dedere tubae,
 193 mente furit, terramque furit pede, surrigit aures,
 194 robore adhuc retinens deficiente minas.
 195 Ductor et emeritis Martem qui deserit armis,
 196 et procul a castris otia lentus agit,
 197 instruit exemplis juvenes, hortatibus implet.
 198 Nec sibi calcatas obstruit ille vias.
 199 Ansit, ut invidias aliis tendentibus illuc,
 200 quo tibi, sed lenae munere, facta via est.
 201 Per Charites, Musasque tuas, Valli optime, quarum
 202 funguntur lenae carmina saepe vice ;
 203 mystica per Veneris, quarum est lena una sacerdos,
 204 perque Cupidineas, tela timenda, faces ;
 205 per Veneris comites Bacchum, risusque, salesque,
 206 quaeque hilarent genium, gaudia laeta, tuum :
 207 vel mitte innocuam, vel lenam absolve nocentem,
 208 si modo, quod lena est, lena sit una nocens.
 209 Finge tibi pariter cunctas procumbere lenas,
 210 a quibus officium sedulitatis habes ;
 211 finge tibi pariter cunctas astare puellas,
 212 oreque blandiloquo talia verba queri :
 213 aut una damnato omnes, aut crimine solve,
 214 juncta etiam nostris est tua causa malis.
 215 Damna, si damnare potes, quae noxia nulli,
 216 grata sua multis sedulitate fuit :
 217 quam nemo accusat, quam nemo coarguit, idem
 218 quin testis culpam publicet ipse suam.
 219 Illa potest mores, populo vel teste, tueri ;

220 legitimus quaestus nunc facit esse ream.
 221 Si vitium esse putes, poteris non credere factum ;
 222 si factum credas, ne vitium esse putes.

AD PTOLEMAEUM LUXIUM TASTAEUM, ET JACOBUM TEVIUM,
 CUM ARTICULARI MORBO LABORARET. M.D.XLIV.

E_4 v.1 O animae, Ptolemaee, meae pars altera, tuque
 2 altera pars animae, Tevi Jacobe, meae,
 3 scire juvat quid agam ? Vivo modo, si modo vivit
 4 pondus iners, animae corpus inane suae.
 5 Sed tamen ingratas ceu vivi ducimus auras,
 6 et trahit exanimem laquida vita moram.
 7 Ignea vis febris rapido sic perfurit aestu,
 8 ut minus Aetnaei saeviat ira rogi.
 9 Torrida concretis lapidescunt viscera grumis,
 10 et latebras renum calculus urit atrox.
 11 Ut Cereris possint, ut Bacchi munera credi
 12 tacta Medusaeis obriguisset comis.
 13 Sed tamen haec nostri levis est accessio morbi,
 14 et pars immensi vix numeranda mali ;
 15 humor enim cunctos late diffusus in artus,
 16 qua jungunt flexus ossibus ossa suos,
 17 obsedit caecas pigro marcure lacunas,
 18 cunctaque torpenti frigore membra ligat.
 19 Ex humeris pendent sine robore brachia laxa,
 20 nec fluidum cervix sustinet aegra caput ;
 21 genua labant, et crura tremunt, lassique recusant,
 22 tam celeres nuper, me modo ferre pedes.
 23 Sic ego defunctus jam vivo, mihique superstes,
 24 et, vitae amisso munere, fata moror.
 25 Quodque mihi superest fugitivae lucis, id omne
 26 dividit in poenas Parca severa meas.
 27 Nam dum lenta subit nervos pituita, cavisque
 28 in latebris tabes viscida membra coquit ;
 29 tunc ego felicem Tityum atque Promethea clamo,
 30 una quibus tantum viscera carpat avis.
 31 Non ita distentis laxantur corpora nervis,
 32 cum petitur dubii criminis indicium ;
 33 non ita vexatae tenduntur vincula navis,
 34 cum notus insano miscuit astra freto.
 35 Hic ubi desaevit, succedit calculus : illum
 36 protinus enascens acrior hydra subit.
 37 Aut cava tinnitu demurmurat auris acuto,
 38 aut facit arentem febris anhela sitim ;
 39 aut sensim illabens lentus pulmonibus humor
 40 vexatum tussi quassat utrumque lateris.
 41 Interea medicus decocti uligine ligni
 42 oppugnat lentam persequiturque luem.
 43 Hic cibus, hic potus tenuatos recreat artus,
 44 et cum vicina proelia morte gerit.
 45 At macie informi succum populante refugit
 46 et vigor et vultu qui fuit ante color.

47 Squalidus obsedit faciem situs, ossaque praebent
48 membra per arentem dinumeranda cutem.
49 Et velut in speculo se lumina cernere nolint,
50 in latebras penitus retro abiere suas.
51 Denique vos animis talem me fingite, quales
52 ad tumulos manes credit adesse timor.
53 Qualia pinguntur miseris simulacra figuris
54 terrificae Mortis, mortiferaeque Famis.
55 At neque Tastaesus, nec Tevius assidet, ore
56 suaviloquo longum qui vetet esse diem ;
57 nec mihi delicias blandi facit oris Alanus,
58 nec lepida alludit garrulitate Petrus ;
59 nec recreant animum doctis sermonibus aegrum
60 cetera Vasconicae turba diserta scholae.
61 Sed nec amicitiae mihi pectora cognita certae
62 in mediis hic me deseruere malis.
63 Saepe mihi medicas Groscollius explicat herbas,
64 et spe languentem consilioque juvat ;
65 saepe mihi Stephani solertia provida Carli
66 at mala praesentem tristitia portat opem.
67 Turnebus Aonii rarissima gloria coetus
68 officiis vacuum non sinit ire diem.
69 Ceteraque ut cessent, Gelidae pia cura sodalis
70 et patris et patriae sustinet usque vicem.
71 Ista levant animum, cum tellus luce resecta est ;
72 at cum sol vitreis praecipitatur aquis,
73 ingeminant maesto pallentes agmine curae,
74 fingit et in formas somnia mille sopor.
75 Illa mihi vestros per caeca silentia vultus,
76 oraque per tenebras conspicienda ferunt.
77 Alloquiisque levant animum fallacibus aegrum,
78 et prohibent longas noctibus esse moras.
79 Sit licet haec nimium levis et fugitiva voluptas,
80 dulce tamen caris sic quoque posse frui.
81 Fors et nocte istuc etiam me somnia portant,
82 et statuo vestrum pallidus ante torum ;
83 et tenui fundens suspiria maesta querela
84 commiseror vitae fata sinistra meae.
85 Hoc vetet illa mihi fors hactenus aspera, surda
86 nec saltem hic nostras abnuat aure preces.
87 Et vos obscurae suavissima pignora noctis
88 somnia, pennato concita turba gradu,
89 efficite absentes dolor hic ne tangat amicos,
90 solus et e nostris sim miser ipse malis.
91 Quod si Parcarum non exorabile numen
92 ruperit ante suum stamina nostra diem,
93 sera mei fidos accedas fama sodales
94 funeris, et longa quam pote falle mora.
95 Et, vos unanimes lacrimis absistite amici,
96 neu gemitu manes sollicitare meos.
97 Si quis erit sensus supera quid agatur in aula,
98 libera cum vinclis corporis umbra fugit,
99 vester erit luctus nostrae lugubris umbrae,
100 nec mihi mors longi meta doloris erit.

AD FRANCISC. OLIVARIUM, FRANCIAE CANCELLARIUM,
NOMINE SCHOLAE BURDEGALENSIS.

E_5 v.1 Si pudor audaces sineres suos esse Camenas,
2 et qui virginibus purpurat ora metus,
3 omnis Aquitani properaret turba Lycaei
4 ante tuas supplex mane rubente fores.
5 Quod tamen ingenuus fari pudor impedit illas,
6 promptus et in sexu debiliore rubor ;
7 una jubet, teneris tibi cognita scilicet annis,
8 pauca quidem haec verbis nos memorare suis.
9 Paene suum rediit circumfluus annus ad ortum,
10 et prope defessis Phoebus anhelat equis,
11 ex quo pauperies inopes miserabilis urget
12 Pieridas, juveni numina nota tibi.
13 Si fera barbaries trepidos vastaret agrestes,
14 et quateret bello moenia durus Iber,
15 publica privatas lenirent damna querelas,
16 junctaque cum populi sollicitudo metu.
17 Nunc mala tempestas belli desaeviit, urbes
18 pax fovet, et pleno copia larga sinu.
19 Rura quies secura colit, mercator inermis
20 impavido tutas remige sulcat aquas.
21 Cetera tranquillae senserunt commoda pacis,
22 cum mala nos bellis asperiora premant.
23 Quid modo squalentes turpi rubigine mores
24 profuerit studiis excoluisse bonis ?
25 Quid modo barbariem juvet expugnasse rebellem,
26 inque triumphato figere castra solo :
27 si tamen incolumi Francisco et prole, secundum
28 te quoque post regum sceptrum tenete locum,
29 nos tenet obsessos misere crudelis egestas,
30 nec sinit Aoniis credere semen agris ?
31 Haec quoque non nostrae pars est postrema querelae,
32 si tibi neglectae destituamur ope.
33 Cum tamen ad summos per nos sis vectus honores,
34 (ingenuo verum si licet ore loqui,)
35 quis neget insontes tali sub clade Camenas,
36 et non horrendi criminis esse reas ?
37 Si nec, Olivari, saltem tibi credita causa est
38 nostra, patrocinii digna favore tui,
39 si mala non puris vitium pocula succis,
40 mixtaque cum liquidis toxica demus aquis,
41 non petimus velum deprensae obtendere culpae :
42 plecatntur poenis crimina quaeque suis.
43 Aut si per steriles comites frustremur arenas,
44 non habeat faciles nostra querela deos.
45 Sed neque per steriles comites frustramur arenas,
46 enecat injectum nec sibi semen ager.
47 Convenient quamvis Latiae Francaeque Camenae,
48 quasque colit vasto Teutonis ora solo,
49 non sumus indecores Latiis Francisque Camenis,
50 quasque colit vasto Teutonis ora solo.
51 Sin piger, et tanti non sunt commercia nostra,

52 et nimio sumptu credimur esse graves,
 53 id quoque ne pigeat cito spem praecidere vanam,
 54 vulnera nec lenta nostra fovere mora.
 55 Haec ubi spes aberit, vicinos altera Iberos,
 56 aut petet aurifero littora flava Tago,
 57 aut modo pacatos trans aequora lata Britannos,
 58 aut juga Sithonia semper operta nive.
 59 Qualibet excipient Musas loca ; nam neque deerit
 60 inter inhumanos hospita terra getas.
 61 Tu modo per si quid juveni indulgere Camenae,
 62 cum numeris aures detinuere tuas,
 63 aut ope praesenti miseris solare et egenas,
 64 aut saltem auxilii spem cito tolle tui.

AD ALISAM E MORBO PALLIDAM ET MACILENTAM.

E_6 v.1 Verane te facies miseranda ostendit Alisa,
 2 anne oculos fallax decipit umbra meos ?
 3 Sed neque decipiunt oculos modus oris et artuum,
 4 et Charitum quales vix rear esse pedes,
 5 et tua qui semper sequitur vestigia, sive
 6 discere vult gestus, sive docere, decor.
 7 Sed quota, me miserum, pars haec illius Alisae est,
 8 inter Hamadryadas quae modo prima fuit ?
 9 Heu color, et vultus sine rusticitare modesti,
 10 et lepor, et blandis ira proterva minis !
 11 Heu ubi letiferas spirantia lumina flammis,
 12 et matutinis aemula labra rosis !
 13 An tibi Thessalici vis pernicioosa veneni
 14 torret ad arcanos cerea mebra focos ?
 15 Aemulus an livor te perdidit ? Et venus ipsa
 16 indoluit formae dicta secunda tuae ?
 17 At tibi ego infelix senium deforme timebam,
 18 et cum rugosis pallida labra genis,
 19 et quaecumque olim longinqui temporis aetas
 20 invida formosis damna parare solet.
 21 Sed tenero securus eram de flore, nec umquam
 22 credideram tantum fata ego posse nefas.
 23 Vos o, quas penes est vitaeque necisque potestas,
 24 sortitae nimium regna superba Deae,
 25 quale decus primo fraudatis flore juventae ?
 26 Debuit hoc vestris non licuisse colis.
 27 Si vos forte juvant fletus prope busta recentes,
 28 et semper lacrimis tincta favilla novis,
 29 carpente maturosque senes, vetulasque rigentes,
 30 sparsaque vix raris tempora cana comis ;
 31 carpente quos inopis torquent fastidia vitae,
 32 quique velint annos praecipitare suos.
 33 Parcite formosis, breve ver dum transvolet aevi,
 34 parva mora haud parvi muneris instar erit.
 35 O fera Persephone, nimium dilecta tyranno,
 36 quem luctus miseri, vinclaque saeva juvant,
 37 non ego te facie credo placuisse marito,

38 saevitia captus palluit ille tua.
 39 Tune potes virides annos fraudare juvena ?
 40 Et modo nascentem praesecuisse comam ?
 41 Totque animas anima perdes crudelis in una ?
 42 Heu frustra votis saepe vocata piis !
 43 At puto non longum laetabere, si modo verum est
 44 Ditis inhumani pectus amore capi.
 45 Sit licet et ferro, sit durior aere rigenti,
 46 asperior furiis si licet ille suis ;
 47 hanc semel adspiciat, feritas placata quiescet,
 48 atque hunc, qui vincit omnia, vincet Amor.
 49 Tum tibi praelatam neglecta dolebis Alisam,
 50 et viduum flebis frigida sero torum.
 51 Quin animum nostris frange exorata querelis,
 52 victuraeque brevem temporis adde moram.
 53 Quod tibi das, nobis poteris tribuisse videris ;
 54 et lacrimas nobis, et tibi deme metum.

DE LEONORA PIERIDIS LENAEE FILIA.

E_7 v.1 Qualiter, ut Phrygii crepuit tinnitus aheni,
 2 cymbala mellificas rauca morantur apes,
 3 sic mea se sistit, placide et Leonora recidet.
 4 Aera simul curva concrepuere manu.
 5 Hoc amat, hoc sequitur, stupidis hic vultibus haeret,
 6 hos avida solos combibit aure sonos.
 7 Non ferus argutas sonipes sic arrigit aures,
 8 et furit, ut tristes concinere tubae ;
 9 non ita, Maeonias matres stimulante Lyaeo,
 10 Thyades effusis exsilire comis ;
 11 non ita semimares Berecynthia tibia mystas
 12 cogit ad insanos membra secare modos :
 13 ut furit audito crepitu Leonora metalli,
 14 gestit et assuetis obstupefacta sonis.
 15 Cor salit, os ridet, laetis nitet ardor ocellis,
 16 palpitat et trepido sanguine vena micans.
 17 Conferat ut magicos Circe Perseia cantus,
 18 conferat Aeaëis gramina lecta jugis.
 19 Aes Leonora modo audierit, nec carmina vires,
 20 lecta ne Aeaëis obtinet herba jugis.
 21 Nec tamen aere capi nymphae praecordia miror,
 22 aera movent magnos saepe minuta deos.
 23 Est dea, Thessalicis sed cum rubet icta susurris
 24 Luna, laboranti fert sonus aeris opem.
 25 Quid rear ? An caecis rerum contagia causis
 26 naturae certa corpora lege trahunt ?
 27 Ferro adamas, fulvo gaudet Leonora metallo,
 28 scilicet ingenio paret uterque suo.
 29 Audiit Aonio ductos ubi pectine montes,
 30 et nemora Orpheis capta fuisse modis,
 31 et citharam auratam contendit, et aurea plectra,
 32 aureaque Orpheae fila fuisse lyrae,
 33 et Danaen pluvio felicem praedicat auro,

34 aureaque hac merito iudice dicta Venus.
 35 Hinc licet Aeacides precibus contendat Achilles,
 36 forma, annis, factis, nobilitate potens,
 37 si pretium accedat, pretio concedet Achillis
 38 cum precibus virtus, forma, iuventa, genus.
 39 Hoc videt, hoc audit sentitque, ad cetera surdam
 40 nec credas oculos hanc, nec habere manus.
 41 Nec coram statuis procumbit ad oscula sacris,
 42 lamina ni primos integat alba pedes ;
 43 pulsaque templorum cum turribus aera resultant,
 44 tum canere ad veneris proelia signa putat.
 45 Hoc facit ut pigros senio tardosque podagra
 46 illa sacerdotes impatienter amet.
 47 Sustinet amplexu demortua membra fovere,
 48 molliaque ad canas oscula ferre comas,
 49 et fluere in vultus spumantis fila salivae,
 50 et gelido nasi rore madere sinus.
 51 Eque oculis putrem stillantibus ebibit imbrem,
 52 et scabri dentis laeta venena vorat ;
 53 frigentesque novat juvenilibus ignibus artus,
 54 excitat et nivea languida membra manu.
 55 Tantum in amore valet sperati amor improbus aeris,
 56 tot juvenum pallens vota cadaver habet.
 57 Sed neque carnificis dextram fugit illa cruenti,
 58 munera carnificis si modo dextra ferat.
 59 Nec simul infremuit venis furiosa libido,
 60 subjicere aerato membra recuset equo.
 61 At vos, o mystae, Veneris justissima cura,
 62 queis florem aetatis devovet illa suae,
 63 hoc pro tot meritis saltem praestate, senecta
 64 cum tumulo ingesti pulveris ossa teget,
 65 aenea ne querulos dent tintinnabula pulsus,
 66 nec trepidis manes sollicitare sonis :
 67 nam semel arguti murmur si clanxerit aeris,
 68 umbra etiam caelum linquet, ut aera petat.

IN EANDEM.

E_8 v.1 Ergo mihi numquam nisi personata videnda es ?
 2 Cernere nec faciem fas, Leonora, tuam ?
 3 Alloquar absentem praesens ? In luce serena
 4 tamquam sint tenebrae, non videam quid amem ?
 5 Osculer, amplectar, tractem quod cernere non est ?
 6 Et tecum veluti te sine semper ero ?
 7 Non ego Penelopem, si non videatur, amabo ;
 8 Gorgona si videam, Gorgona forsitan amem.
 9 Illa vel Oedipodas, vel Phineas urat amicos,
 10 quae faciem metuit ne tueare suam.
 11 Per te, per verum, quicumque est ille, colorem,
 12 perque oculos, oculos qui rapuere meos :
 13 quisquis is est, verum vultum permitte videri,
 14 te volo, personam nolo videre tuam.
 15 Dummodo certus amem, quidvis patienter amabo ;

16 cum tegitur virtus, creditur esse nefas.
 17 Dum cutis exiguas viscato polline mendas
 18 illinis, ingentes suspicione facis.
 19 Nam cum vera latent vero majora timentur,
 20 et mens quid paveat nescia, cuncta pavet.
 21 At tibi nec labris vultum deformis equinis
 22 Aethiopum calido venit ab axe pater :
 23 decolor aut fusci genuit te filia Mauri,
 24 candida sed patriae nympha colore suae.
 25 Utque fores nigro nigra Aethiopissa parente,
 26 ne metuas nigram ne tamen ullus amet ;
 27 candida mens fusci pensabit damna coloris,
 28 quae facie ingrata est, simplicitate placet.
 29 Nec sapor est unus cunctis jucundus, odorque,
 30 nec facies oculis omnibus una placet.
 31 Simplicitas me nuda juvat ; mihi basia pura,
 32 servabis Monachis oscula picta tuis.
 33 Illos picta juvent, quibus est sub tegmine duro
 34 relligio mores dissimulare suos.

DE NEAERA.

E_9 v.1 Servitii juga dura et iniquum exosus amorem,
 2 eripui dominae me, rapuique fugam ;
 3 sensit Amor, pedibus celerem velocior alis
 4 urget, et a nobis sic fugitivus abis ?
 5 Dumque facem rotat, ut languentes colligat ignes,
 6 extinctam lacrimis hanc videt esse meis.
 7 Ergo avidus poenae, taedaeque iratus inermi
 8 omnia de pharetra spicula fundit humi ;
 9 omnia me contra jaculatur, et omnia frustra,
 10 pectoribusque haerent spicula mille meis.
 11 Cor, jecur et pulmo tot saucia facta sagittis,
 12 quo facerent jaculis non habuere moram.
 13 Non tot in Actaea patuere foramina cera,
 14 tecta novo populo cum nova fingit apis ;
 15 non ita pro foribus stamen tralucet, Arachne
 16 hostibus aligeris praemeditante dolos.
 17 Fervida tot telis non proficientibus ira
 18 fugit ad auxilium dia Neaera tuum ;
 19 et capiti assistens te dormitante capillum
 20 aureolum flavae tollit ab orbe comae.
 21 Et mihi ridenti (quis enim non talia vincla
 22 rideat ?) arridens brachia vinxit Amor ;
 23 luctantem diu (sed frustra) evadere, traxit
 24 captivum, dominae restituitque meae.
 25 Et nunc ille ferox, ipsique rebellis Amori,
 26 (ah ! pudet) et solitus fortia verba loqui,
 27 jussa fero stimuli patiens, nec iniquus habenis,
 28 et trahor iratae praeda relictus herae.
 29 At vos, quos oculis melior Venus adspicit aequis,
 30 cunctaque non durus vota secundat amor,
 31 ne gaudete, meis nec laeti illudite damnis,

32 quae mea fors hodie est, cras fore vera potest.